





7492  
40.  
25.  
1785  
2.  
3.  
**ORDINIS IVRIDICI**  
IN  
**ACADEMIA WITTENBERGENSI**

H. T.  
PRO. DECANVS  
**D. GOTTLÖB CHRISTIANVS**  
**KLÜGEL**

FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSOR ORDINARIUS ET  
SENATVS CIVITATIS WITTENBERGENSIS SYNDICVS

LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM.

---

*in est  
de commissis fraudatorum vestigialium causa.*

ORDINIS PARIDICI  
COLONIENSIS VITAE IMPERATORIS  
D. GOTLOB CHRSTIANVS  
KLAGEI  
LECTORI DILECTORI  
SALUTEM

ad consilium regnorum colligendum cum  
domi



3

*Q. D. B. V.*

**T**ributa, vectigalia, et, quae sub aliis nominibus, siisque variis  
indicuntur, publicarum pecuniarum collectae cum in rei  
publicae utilitatem sint contribuenda, facile est ad perspi  
ciendum, curam necessitatum publicarum impediri, si qui ciues, vel  
qui qui ad ea pondenda obligati sunt, scientes, quaenam sint illa, oneri  
publico se resue suas aerarium fraudatari subtrahant. Quod cum sine  
dolo fieri nequeat, non est iniquum, fraudatores hos publicarum  
contributionum consulto peccantes dare poenas, adeoque fraudem illam  
referri inter delicta, veluti eiusmodi factum crimen vocat *Vlpianus l. 14.*  
*D. de publicanis*, Hermogenianus etiam, in *l. 53.* *D. de iudiciis*, ob  
census crimen, scilicet ob censum tributorum causa fraudatum, *l. 1.*  
§. 20. *D. et l. 1. C. de quaestione*. seruis, scribit, detegere dominos  
permitti, et Papinianus *l. 8.* *D. de public.* fraudati vectigalis crimen  
ad heredes transmitti. Possunt istae poenae multiplices esse, vel prout  
dolus admissus gravior est aut leuior, vel pro magnitudine damni rei  
publicae dati, carceris aut multeae, vel, si res ita postulet, durior  
etiam; praeterea vel solae vel coniunctae, quas posteriores in primis,  
si ipsi receptores pecuniae publicae fraudem contraxerunt, non raro



videmus irrogari. Quodsi poena sit multa, ea vel determinata est, veluti, ut uno utar exemplo, in Saxonia fraudati vestigalis ex cereuisia (*Frankfurter*) pro singulis mensurae quantitatibus his, quas verbo *Fuß* appellamus, a coquente non professis 10. thalerorum multa constituta est in Erläuter. des Frankf. Auschreib. d. a. 1747. cap. VI. vel iudicium datur in duplum, triplum, quadruplum, et sic porro, eius, quod erat contribuendum, quemadmodum iam antiquo iure Saxonico quadrupli poenam luere debuit, qui telonium non persoluerat; Spec. Sax. L. I. art. XXVII. et, ut ex recentioribus temporibus huic aliud adiungam exemplum, is, qui chartam signatam, quandocunque hoc debebat fieri, non adhibuit, in quadruplum pretii, quod praeterea soluendum est, condemnatur. Mandat. Sax. El. d. 7. Oct. 1732. At, quod ad collationes propter eas res, quae mercis numero habentur, vestigal mercium generale (*General-Consumtions-Accise*) in Saxonia appellatur, frequentissima est poena commissi. Haec a nostris vocatur *Confiscation* aut *Confiscirung* vel etiam *Contrebandirung*, v. g. in der Churf. Sächs. Gen. Consumt. Acc. Ordn. d. a. 1707. tit. allgemeine Regeln, die 56. und 60ste Reg. Mand. Sax. El. d. 12. Mart. 1783. no. X. quae tamen vocabula alii quoque gaudent significacionibus, illa latiori, hoc angustiori. Verbum, *der Verfall*, rem non incommodo explicans, nescio, an ab aliis usurpatum, inuenio in nouissima lege Austriae *Mautsystems Patent* d. 16. Sept. 1784. In commissum autem incidunt merces, res intelligimus mobiles, quas quis comparauit, ut diffundat, aut emtas in provinciam vel locum adserit, aut vendendas alios ad locos mittit, modo potissimum quintuplici. Primo quidem, si quarundam rerum omne, vel in perpetuum vel ad tempus, vetitum est commercium, ut in Saxonia tegumentorum capitil ex filis ferreis in formam capilli comiti dispositis confectorum canticio et venditio prohibebatur, addito, ut emta fisco adjudicarentur. Mand. d. 23. Oct. 1755.

Deinde,

encontra

Deinde, quando certarum rerum commercio cum exteris prorsus prohibentur ciues, quo casu, cum contra legem euehantur, quae euehi ex prouincia, vel, quae inuehi non debebant, in illam inuehantur, cuiusmodi negotium Schleichhandel, Contrebandhandel, alicubi, vt in Austria, Schwärzung, vid. supra cit. Mauth Patent d. 16. Sept. 1784. nominatur, ea omnia, quae proprie appellanda sunt Contreband, solent vindicari fisco. In hunc modum ao. 1733. ex litteris Imperatoris 26. Iul. datis, per totam Germaniam, equos coemni, vt extra Germaniam vendantur, interdiebatur, et in omnibus prouinciis variis temporibus variarum mercium cum exteris commercium, in perpetuum vel ad tempus, idque vel penitus vel cum quadam exceptione, ea lege, vt merces commissae sit, sicut prohibitum. Ut subsistam in patriis legibus, euehore in alias prouincias lanam, praeter eam, quam prædiorum nobilium possessores ex suis gregibus colligunt, Mand. El. Sax. d. 15. Sept. 1750. et 23. Mart. 1765. res cupreas vetustate corruptas, Mand. d. 12. Jul. 1746. aut ligna, Rescr. d. n. Jun. 1755. et Mand. d. 4. Jul. 1763. inuehore vero in Saxonie terras vasa sigillia Miseneribus similia, Mand. d. 3. Okt. 1775. et d. 7. Apr. 1779. et varia alia manu facta, Mand. d. 27. Mart. 1765. imminente non obedienti ista poena, vetabatur. Eodem modo nuperime d. 27. Aug. anni praeteriti lege promulgata eiusque §. 6. per terras Austriacas in Germania sitas Hungariam item et Galliciam Sarmaticam prohibitum fuit, certas in ea lege nominatas res, easque multiplicis generis, introducere commercii causa, et ne in proprios quidem usus absque singulari permissione collegiorum publicorum, quibus huius rei cura data est. Nonnunquam merces illicitas clam in prouinciam ductas easque addictas fisco, ne ullus earum in ista prouincia sit usus, comburi, confundiri, contundi, vel quocunque modo effici, vt inutiles sint reliquiae, iubent principes, cuius in Saxonia exemplum est per Mand. d. 19. Aug. 1750. in ipsis.

a 3

textis,

textis, quae *Sant*, *Plüsch*, *Felpe* appellantur, si peregrinae sint, exceptis tamen, quae facta sunt in nonnullis ibi nominatis prouinciis, et nuper ratione vetitarum per terras Austriae mercium in *Editio d. n. Oct. 1784. §. 7.* obseruauimus. Aliquando non merces tantum illiciae, sed currus etiam, quibus vehuntur, cum equis, sive naues fisco vindicantur, cuiusmodi poenam iam ius Romanum *I. u. §. 2. D. de public.* prodit. Sed ea nostris etiam temporibus non est infrequens. Cadit in commissum in Anglia nauis, in qua quis audet euskerie chartas in nitore in pannos laneos inducendo applicandas. (*Preßspäne*) In Saxonia, si textum stramineum, ex quo pilei conscientur, *Mand. d. 15. Febr. 1748. et 13. Nov. 1777.* si alba terra, *Mand. d. 14. Aug. 1764. praeter editio de hac re antiquiora*, si avena, *Refer. d. 7. Aug. 1782.* si foenum denique fragmentumue *Refer. d. 18. Dec. 1782.* in exteris vehitur regiones, vel si sal illicitum inuechitur, *Mand. d. 10. Ian. 1765. repetitum quoad poenam i. Oct. 1777.* natus vel plaustris atque equorum dominium addici fisco debet. Idem constitutum erat *Mand. d. 3. Iun. 1771.* ratione frumenti, farinae et panis extra fines abductorum, postea iterum abrogatum. Rarius enim in eiusmodi prohibitionibus perpetuum aliiquid est, cum, prout reipublicae postulat commodum, modo siant, modo tollantur. Tertium est, vt merces fisco vindicentur, quarum venditione interdicti sunt certi homines, cuius rei vt exempla iterum ex iure petam Saxonico, excito *Mand. d. 30. Oct. 1773.* in cuius §. 6. circitores, qui merces per domos circumferunt, prohibentur, imminentे haec poena, venditione calendariorum; *Mand. d. 29. Ian. 1767.* per cuius §. 1. qui in vicis vendunt merces, si has in commissum incidere nolint, negotiari in alio genere mercium, quam quarum vendendarum facultas sis in ista §. pho verbis expressis data est, aut in his etiam magnam et copiosam facere mercaturam non possunt; et *Mand. d. 26. Ian. 1764.* ex quo his, qui texendis pannis vicuum quaerunt,

runt, non licet ab exteris operis texta quasi a se confecta, signis sep-  
 sitan adulterinis appositis, nisi easdem dare velint poenas, vendere.  
 Omitto innumerabilia alia exempla, quae tum alibi, tum in cou-  
 cassis praepriis monopoliosis occurunt. Talis enim solitariae ven-  
 tationis effectus, siue sit penes singulos homines, aut societas, siue  
 certis praediis asseratur aut locis, ad hanc vetitorum classem proxime  
 accedit. Quarta huic poenae causa est modus vendendi illicitus. Huc  
 spectat in Saxonie *Mand. d. 15. Sept. 1750.* secundum quod nemini per-  
 mittitur merces, paucis exceptis, extra aundinas per plateas vendendi  
 gratia circumgestare. Quatuor hi modi, quibus merces incident in  
 commissum, poenae sunt vetitae venditionis, nonnunquam emtionis.  
 Superest quintus, ab his admodum diuersus, si merx ob professionem,  
 quae ex causa vestigialis fieri debebat, omissem fisco adiudicatur. Is  
 quidem omnium princeps haberi debet. Dicitur enim, obseruante Bris-  
 tonio, commissum proprie, quod ob vestigal non solutum, vel omis-  
 sem apud publicanos professionem fisco vindicatur. Quam vocis vim  
 non ICti solum, ex quorum libris Pandectae sunt compositae, sed reli-  
 qui etiam et his antiquiores admiserunt scriptores Latini, ut Suetonius  
 in *Calig. cap. 41.* atque ante eum Quintilianus in *declamat.* et Varro,  
 qui causam simul significationis prodit, in libro *de re rust.* commissum,  
 scribens, dici, quod in censoriam legem committat is, qui professio-  
 nem omittit. vid. Cuiac. in *parat. ad Cod. L. IV. tit. 61.* Verumta-  
 men commissas quoque merces dixisse, quae, cum illicitae essent, pu-  
 blicabantur, docet supra laudata *I. n. §. 2. D. de public.* Vestigal etiam,  
 tametsi latiori potestate omne significet, ex quo res publica redditus ha-  
 bet, quemadmodum eam vocem sere explicat Festus, proprie tamen,  
 ut monet Dacerius, id est, quod pro inuestigatione mercium debetur, qua  
 ratione cum eo onerum publicorum genere sere conuenit, quod hodie  
 Accise appellamus. Nominari a veteribus secundum mores Romanos  
 debebant

❧      ♫      ☙

debebant publicani. Substituamus ex hodiernis institutis, cum rarius conducantur vectigalia, quam principis nomine administrantur, quemcunque, cui capienda vectigalis publici potestas est. Origo huius poenae procul dubio, partim, siquidem, non profiteri apud receptores merces suas, quemadmodum supra exposui, ad delicta possit referri, in eo ponenda est, quod ipsa res commissa corpus erat delicti, partim haec fuit, ut in ea re sit obiectum executionis, quo non esse poterat commodius. Etenim cum in primis a mercatoribus peregrinis, adeoque ab his, qui non in eo loco habitabant, in quo vectigal soluendum erat, id exigebatur, necessarium erat, ut vectigalium receptores sibi prospicerent de damno fisico dato, et poena non propositi imponenda; idque fiebat brevissime, retehitis, quas iter porro faciens retinuerat, mercibus. Poterant quidem ipsi fisici fraudatores detineri, id quod etiam omni tempore variis in rebus publicis factum est. Sed absque dubio hoc a plerisque et durum nimis et commerciis damnosum existimatatur, quando e re quidem est regnorum, sauere commerciis, quod obtineri tamen nequit, si mercatoribus vel ob fraudem vere admissam, vel etiam, in eo enim ingens erat publicanorum astutia, vid. l. 12. D. de public. ob solam fraudis suspicionem magna in itinere assertur mora. Video duplicitis illius causae poenae commissi rationem habitam in lege Saxonica, Gen. Acc. Instrukt. d. a. 1783. in qua tit. XII. lit. b. scriptum est: die angehaltene oder in Beschlag genommene Ware bleibt jedoch allemahl das erste obiectum executionis, et tit. XIV. no. 1. die angehaltene Sachen, als corpora defraudationis, zur Accis-Stube gebracht werden müssen. Potesit etiam tertia causa addi, quae tamē non ex ipsis rei, quae esse videtur, necessitate, sed ex praeceptis iuris venit ciuilis, quae forsitan hunc aut illum iuris peritum ad defendendam commissi poenam mouit, ut hoc ipso demum factum sit, ut introduceretur. Multa enim iuris capita originem debere ICTORUM opinionibus, quis est,

qui

qui nesciat. Tacitam scilicet intelligo hypothecam, quae fisco per leges Romanas tribuitur in omnibus ipsis, ex quibus ei aliquid pendendum est. Nam indictiones, secundum l.z. C. de auion. et tribut. ipsis rebus indicuntur. Paulatim, ut est credibile, executionis in poenae mutatum est obiectum: forte, quod ita breuissime tota componetur lis, cum hoc modo executio et initium harum causarum esset et finis. Tametsi graue videri poterat, pro paruo forsan vestigali omnem vel pretiosissimam retinere rem, tamen in poenis irrogandis omnia ad trutinam nequeunt examinari, quamvis has etiam res temperationem pati lubenter largiar. Praeterea fecit, si quid recte iudico, vel, ubi conductores erant, augendorum honorum, quae erat ipsorum, cupiditas, ut illa his quoque amplificando operam darent, vel, siue fuerint ipsis, siue non fuerint, delicti frequentia, ad quam ut respiciamus, ut in omni iure aequum est, ita in rerum quoque fiscalium regimine, ut duriori poena peccandi libidini obex opponeretur. Nam, cum vestigalia publicarum necessitatum causa postulentur, redditibus autem per fraudes nimis imminutis fieri possit, ut non sufficiant his, ad quae destinati sunt, ne publicae rei ordo turbetur, ad delinquendum hominibus, minorem despicientibus poenam, quasi in uitatis, erat prouidendum. Hoc ipsum tamen docet, illa ad res priuatas non esse producenda, in quibus eiusmodi damnum non est metuendum, siquidem, commoda ideoque etiam pericula priuata et publica longe differre, nemo ambiget. Sed ad solam quoque pertinet maiestate, huius generis poenas sumere: quin iura fisci, si regulam sequimur, ciuibus negantur. Quamobrem, et si priuatis hominibus aliquando vestigium exercendorum ius sit, in commissum tamen incidere res apud eos non professas, nisi, in eum modum multare fraudantes, ipsis distinctius sit concessum a principe, non putauerim, quanquam non nego, res non professas pro executionis obiecto retineri posse, quando

b

periculum



periculum est, aliud vel prorsus fore defuturum, vel difficiliori in quaestum. Obtinet autem haec commissi poena ob delictum fraudati de mercibus, quas quis in territorium vel locum intulit, soluendi vestigialis, publici nimirum, apud plerasque gentes. Neque rem mutat, poenam fisco ipsi non applicari, sed cedi delatori aut magistrati eius loci, in quo fraudans apprehenditur, cum, si hoc sit, hi in fisci locum ex lege sucedant. Fit enim saepissime, partim, ut homines, sive lucrissive, quod rarius accidet, vindictas publicae studio ad deferenda nomina nocentium adducantur, partim, ut magistratum excitetur diligentia in fraudibus detegendis et puniendis, ut utrisque pars commissi, vel totum etiam, relinquatur, non in hac solum specie, quemadmodum in multis huius fraudis causa datis legibus constitutum legitimus, cum in commissum res incident propter professionem neglectam, sed in reliquis etiam, in quibus huic poenae locus est. Plerumque rei fisco adictae, vendita ea, pretium in tres dividitur partes, quarum una in fiscum refertur, altera magistrati, quae in delictum inquirit, relinquitur, tertia cedit delatori, cuius partitionis exempla etiam in Saxonia non pauca obseruare licet in legibus supra laudatis aliisque. Verum, cum ob merces vestigialis causa non professas poena commissi irrogatur, nisi exceptis tamen quibusdam causis, in partes quatuor distributis, unam fiscus, alteram iudex in rebus ad vestigalia pertinentibus ordinarius cum receptoribus, tertiam iudicij assessor capit urbanus, quartam delatoria tamen, ut portio vacans, e. g. si non sit delator, etiam ad fiscum pertineat. *Gen. Conf. Act. Ordin. d. a. 1707. tit. allgem. Reg. reg. 63.* Accidit nonnunquam, ut, sive fortuito, sive culpa eorum, qui fraudem fecerunt, res, quae inciderat in commissum, non amplius adfit, eum condemnatio fieri deberet, ut itaque neque fiscus sibi eam, neque alius quisquam, veluti delator magistratus, ex iure fisci in eum transferre, possit vindicare. Quod si euenit, plerumque ita negotium consciunt,

sicutant; ut eius rei pretium iubent reum soluere. Exempla paucim cūm  
 in aliis, tum in Saxonīcō occurruunt legib⁹. Ut autem redeam ad  
 ipsam poenam; in Saxonīa Electorali per regul. 56. iam citatae *Gen.*  
*Coſf. Act. Ordin.* Serenissimus Princeps, ab his, qui vētigalibus  
 exercendis constituti sunt, in commissum recipi iussit merces non pro-  
 fessas. Nouissime tamen, quo accommodetur magis poena ad delictum,  
 hoc ita mutatum est *Mand. d. 12. Mart. 1783. n. X.* vt in poenam duo-  
 decies vētigal, praeter huius ipsius quantitatē, soluendum sit ab eo,  
 qui fiscum erat fraudaturus, quae poena eodem est modo, atque olim  
 pretium rei, quae in commissum ceciderat, diuidenda. *Gen. Acc.*  
*Inſtr. d. a. 1783. tit. XVI. n. 4. et vlt.* Attamen ab hac puniendo de-  
 linquentes norma nonnunquam, ex eiusdem legis praeceptis, est dis-  
 cedendum. Quodsi enim rei non professae pretium vnum non excedat  
 thalerum, in commissum ea nunc etiam cadit. *Mand. exit. d. 12. Mart.*  
*1783. §. X. in fine.* Deinde nemo cogitur omnino ad istam, cuius  
 supra memini, poenam numerandam, sed potest se re non professā ab-  
 dicare, quo facto ea, ac si in commissum incidisset, consideratur, et,  
 qui fraudem admisit, ab omni alio, praeterquam, quae pro decreto iu-  
 dicis vētigalium causa constituti postulari permittuntur, soluendo liber  
 est. *ibid. litt. b.* Quapropter, pretio rei non professae non pertinen-  
 te ad quantitatē, quae additis sportulis ad poenam exoritur, nunc  
 quoque, cum vix aliquis beneficio, quod lex largitur, non credatur  
 vslurus, ea res in commissūm cadit, ita tamen, vt id soluatur, quod de-  
 betur pro decreto cōdemnante. *eod. loc.* Idcirco multo minus, §.  
 vendita auctoritate publica re ob omissam professionem fisco vindicata,  
 quantitas vētigalis atque poenae ex pretio ab emitore dato nequeat re-  
 digi, ab eo, qui fraudem fecit, vt, quod deficit, suppletat, depositandi  
 facultas conceditur, qui tamen, si hoc accidat, non solum pro decreto  
 debitum sed reliquos etiam litis sumitus soluere iubetur. *Inſtr. tit. XII.*

*n. i. ad b.* Tandem, quando euenit, vt ex praescripto legis *Gen. Conf. Act. Ordin. tit. allegem. Reg. 56*le Reg. prae*ter commissi poena* in sextuplum vestigialis dandum sit iudicium, res omnis est summi Se-natus regundis redditibus principalibus constituti relinquenda arbitrio.  
*Infr. l. e. ad d. n. 4.*

Sed haec de ista re disputasse sufficiat. Commandandus enim nunc est

VIR PRAECLARISSIMVS ET DOCTISSIMVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS WILISCH

DRESDENS,

IVR. VTR. CANDID. RERVVM PROPTER REDITVS PRIN-CIPALES IN FORO AGENDARVM PER REGIONEM  
A PRINCIPIS ELECTORIS DIGNITATE NOMINATAM  
PROCVRATOR ET CAVSARVM PATRONVS,

qui, sequens Illustris et Iuris Consultissimi Patris vestigia, vitam lauda-biliter actam Ipse sequentibus enarrat:

**N**atus sum Dresdae d. IX. Aprilis 1700 patre CHRISTIANO FRIDERICO WILISCHIO, Doctore utriusque Iuris et Serenissimo Elektor-i Saxonie in iudicio supremo, ad quod provocatione certatur, a confi-tis, matre JOHANNA CHRISTINA KRÜGERTA, antea FERDINANDO AV-GUSTO MÜLLERO, mercatori Hamburgensi, matrimonio iuncta. Anum habui CHRISTIANVM FRIDERICVM WILISCHVM, quondam Doctorem Theologiae et Dioceſſor Fribergensis Superintendenti, et anum MA-

RIAM

RIAM SOPHIAM, CHRISTIANI LEHMANNI, quondam Doctoris Theologiae, et Dioceſeos Fribergensis Superintendentis filiam. Originem  
 autem communem debo cum maioribus genti Brandenburgicae WÜL-  
 SCHORVM. Parente utroque superflite laetor, quorum in me amori  
 quid debeam, verbis efferre non possum. Paer uſus ſum praceptoribus  
 priuatis, quorum ultimus mihi fuit HERTELIVS, nunc ſacrorum Anti-  
 theſe prope Schnebergam, cuius fideliſima iuſtitutione tantum profeci, ut  
 a. c. 1700CCLXXVI. inter alumnos Elec̄toralis ſcholae provincialis Grimanae  
 recipi possem. Ibi magiſtros naclus ſum b. KREBSIVM, MVECKIVM,  
 HOFMANNVM, REICHARDVM et RICHTERVM, quorum quidem iuſfigui  
 erga me beniuolentiae grata mente ſemper recordabor. Hinc a.  
 c. 1700CCLXXVI. in Academiam Lipſienſem, Reboore PÜTTMANNO, me  
 contuli, ibique a b. ERNESTII et REITZIL, cum antiquitates Romanas il-  
 luſtrarent, ore peperi: philoſophiae diſcendas cauſa verſatus ſum in  
 ſcholis PLATNERI et ERNESTI iuu.: FUNCCIVM Matheſin puram et b.  
 LUDWIGIVM Phyſicen explicantes audiui: in ſcribendo per aliquod  
 tempus a REITZIO, qui singulari quadam me humanitate ſemper exceptit,  
 exercitatus fui. In historiciſ ſedētatuſ ſum b. BOEHMIVM, WENCKIVM,  
 et b. FRANKIVM. Iuriſ ciuilis ac patrii notitiam mihi paraturus, hi-  
 storiam legitimae ſcientiae atque Iuſtitutiones apud EINERTVM, Ius Na-  
 turae apud SAMMETVM, Ius Diogenorum, Ius Germanicum, Saxoniu-  
 cum, et Canonicum apud SCHOTTVM, qui libris commodandis aliisque  
 modis in me valde officiosum ſe praebuit, ius Feudale et Publicum Ger-  
 manicum apud BIENERVM, virum mihi iam eo nomine, quod amore  
 iuris publici diſcendi mirifice in me aluit, chariſſimum, ordinem denique  
 iudicariū apud b. ZOLLERVM et praeter hunc artētu de cauſis forenſibus  
 referendi apud SEGERVM, quem etiam erga me maxime benivolum fac-  
 pius cognoui, ſtudiū percipere. Praeter eos WOELLIVM frequentauī,  
 cum iuriſprudentiam uniuersam traderet, exercitationesque in diſputau-

❧ + ❧

do de iure institueret. Sed hos studium ut feliciter absoluere possem,  
effecit SERENISSIMI ELECTORIS munificentia. Nec vero eodem con-  
flio mihi defuerunt studia summorum virorum, quippe quorum eximia,  
miliisque semper gratissimo animo colenda, erga patrem meum et me ipsum  
benivolentia factum est, ut a Summe-Reuerendo Capitulo Numburgo-Ci-  
zenſi, a Senatu Amplissimo Lipsiensi, Numburgensi, Fribergensi et a  
viro generosissimo b. de VELTHEIM beneficia quadam in me confer-  
rentur. Ita quadriennio inter multos patronos ac sautores transactio-  
Lipsiae valedicere, et, ut consueta subirem examina, Vitebergam adire,  
a patre, nonnullis suadentibus amicis, iussus sum. Adueni igitur post-  
quam ante abitum Lipsiae a Comite Palatino Caesareo, b. FRANKIO, No-  
tarius publicus Caesareus creatus fueram, a. c. 1500CLXXX in hanc Aca-  
demiam; ubi a viro Experientissimo, patronoque mihi summe venerando,  
BOEHMERO, eo tempore Academiae Rectore, ciuibis academicis adscri-  
ptus, et a viro Iureconsultissimo FRANKIO, cuius singularis humanitas  
mihi hucusque videndorum, quae ad causas in foro perorandas vlo modo  
spectarent, copiam apud se benignissime fecit, in domo sua exceptus sum.  
Mox dubias quasdam ex vario genere sententias, praefide Viro Magni-  
fico WIESANDIO, patrono summopere colendo, defendi, et tentamina pro-  
canſis in foro agendis ac pro impetrando primo in iure gradu apud  
ILLVSTREM IVRECONSULTORVM ORDINEM sustinui. Hinc, cum aliquot  
mensibus consumatis, Dresden repetere constitutum effet, singulari quo-  
dam favore Illustris FISCHERI et Clarissimi EBERTI mihi evenit, ut iuueni  
generoso de BRANCONI, Equiti Neapolitano, comes studiorum in hac  
academia adiungerer. Qua quidem opportunitate Clarissimi SCHROECKHII  
Historiam Catholicam enarrantis, et Magnifici WIESANDII, Ins Naturae  
docentis, scholis assedi. Interea me notis beneficiis et Ordo ILLV-  
STRIS IVRECONSULTORVM et PROCERES HVIVS ACADEMIAE liberalissime  
adiuuerunt, quorum quidem erga me animis propensis me quem maxime  
obſtricium

obstrictum sentio. Nonissime vero denuo perspexi Indulgentiam ELECTORIS SERENISSIMI. Non solum enim me quodam stipendio, quod conferri Candidatis iurium solet, auxit, sed vel maxime me nuper ita ornauit, ut fidem meam dignaretur, cui munus procuratoris in causis affectum suum per regionem circenli Electoralis redeuntibus clementissime demandaret. Iam cum in eo sum, ut summos in vitroque iure honores ambitus, auctoritate ILLUSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS, superato examine, quod dicitur rigorosum, libellum: DE IVRE COLLECTANDI IN TERRITORIIS GERMANIAE, meo Marte confectum, publice, et sine praefide, pro venia a Serenissimo Electore impetrata, defendam; supplex Numen diuinum rogo, ut et hoc a me coeptum felix fanustumque esse benignissime iubeat.

Huius voti fore, ut compos fiat, nulli dubitamus. Nam, cum se fliterit, adsppirans ad summos in vitroque iure honores, consuetis examinibus, ita diligentiam atque eruditionem suam, cum in explicandis legibus, tum in respondendo ad quaestiones propositas, Ordini comprobauit, ut ei merito honores, quos petiit, decreuerimus. Ante vero, quam his ornari possit, necesse est, ut publicum et solenne edat specimen, qua de causa futuro die XXIII. Maii disputationem inauguarem a se scite elaborata: *de iure collectandi in territoriis Germaniae;* et quidem, venia a SERENISSIMO PRINCIPTE ELECTORE impetrata, sine praefide, defensurus est. Hanc itaque panegyrin, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROCERES ACADEMIAE pariter atque VRBIS ET GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE CIVES honorifica sua amplificare velint praesentia, et Ordinis et meo nomine officiosissime rogo.

P. P. in ipso Pentecostes Festo A. R. S. MDCCCLXXXV.




Wittenberg, Diss., 1783-85



f

8.





4492

70.  
25

ORDINIS IVRIDICI  
I N  
ACADEMIA WITTEMBERGENSI  
H. T.  
PRO . DECANVS  
D. GOTTLÖB CHRISTIANVS  
KLVGEL

FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSOR ORDINARIUS ET  
SENATVS CIVITATIS WITTEMBERGENSIS SYNDICVS

LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM.

---

*in est*

*de commissis fraudatorum vedigalium causa.*